MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80133-10

AUTHOR: SCHMIDT, HERMANN

TITLE: PRIMI CICERONIS DE OFFICIIS LIBRI....

PLACE: VITEBERGAE

DATE: 1860

Master Negative #
91-80133-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schmidt, Hermann, 1801-
Primi Ciceronis De officiis libri dispositio quam... d.d.d. Dr. Hermannus Schmidt... Vitebergae, typis B.H.Ruebeneri, 1860.
13 p. 28½ cm.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13½x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-3-92 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

PRIMI CICERONIS DE OFFICIIS LIBRI DISPOSITIO

QUAM

VIRO DOCTISSIMO AMPLISSIMO

LUDOVICO BREITENBACH

DOCTORI PHILOSOPHIAE GYMNASII PROFESSORI

POST AMPLIUS VIGINTI ANNOS GNAVITER STRENUEQUE

IN JUVENTUTE ERUDIENDA EXACTOS

IN HONESTUM NUNC OTIUM RECEDENTI

EX COLLEGARUM SENTENTIA

OPTIMIS VOTIS PRECATIONIBUSQUE

D. D. D.

Dr. HERMANNUS SCHMIDT
DIRECTOR GYMNASII.

VITEBERGAE DIE 21 M. SEPT. MDCCCLX.

TYPIS BERNHARDI HENRICI RUEBENERI.

1860

Etsi plurimae nunc res, quae ad gymnasiorum studia recte instituenda pertinent, in controversiam vocantur neque de ulla facile re major opinionum sententiarumque est discrepantia, illud tamen inter omnes, qui de his rebus judicare possunt, constat, opinor, atque convenit, gymnasia debere quodammodo palaestras esse, in quibus puerorum juvenumque ingenia exerceantur ita, ut apta et idonea fiant, quae abditas rerum singularumque disciplinarum causas et aveant aliquando et possint cognoscere. Atqui in antiquis certe scriptoribus legendis nulla id alia ratione videtur melius effici posse quam adsuefaciendo discipulos, ut et summum, quo omnia spectent, consilium quaerant et, quo singulae inter se vinculo sententiae contineantur, videant, denique, quomodo in suas quaeque partes distributa atque disposita sint, intelligant. Quae omnia quo minus apud veteres in promptu et in propatulo quasi sunt posita, eo aptiora ad acuenda investigantium ingenia esse. Hoc ipsum autem quum a Te quoque, Collega optime, scirem non comprobatum tantum sed diligenter etiam et magno cum fructu discipulorum factitatum esse, non alienum mihi videbatur hoc tempore, quo multo Tu profecto, quam et aetati Tuae et nostris rebus conveniebat, maturius valetudinis causa ex hujus coetus consuetudine atque frequentia in otii tranquillitatem Te conferre coactus es, — non alienum igitur mihi videbatur, argumentum ejus scriptiunculae, qua publicum aliquod idque supremum quasi necessitudinis nostrae testimonium exstare volebamus, ex illa ipsa disponendi exercitatione repetitum sumere. Ut autem Ciceronis potissimum Officia elegerim, id casu quodam, quem jam Tibi narraturus sum, factum est. In Helvetiam scis hac me aestate profectum fuisse. Quo in itinere quamquam beati illius terrarum anguli desiderio actus maximopere festinabam per patriae agros, Erlangae tamen non potui quin inhibita cursus celeritate commorarer paullisper, ibique Doederlinum,

virum illum doctrinae subtilitate et elegantia non minus quam morum humanitate sermonisque lepore excellentissimum, una cum Deinhardio meo salutandi causa adirem. A quo benigne excepti posteaquam suaviter aliquamdiu atque utiliter sermocinati eramus, mentio tandem artis etiam ejus injecta est, cujus et optima nuper Doederlinus exempla ediderat *) et vim atque naturam dilucide, ut solet, et acute exposuerat Deinhardius **). Et hic quidem quum duo distinguenda esse existimavisset disponendi genera: unum, in quo mentis quaedam prudentia, subsistens illa plerumque in secundariis notionibus, alterum, in quo rationis subtilitas, ad primas omnia notiones revocans, cerneretur, et in hac quidem apud veteres dixisset unum omnium maxime excellere Platonem, illius Doederlinus Ciceronem contendit in libris officiorum magistrum esse optimum. Quod satis honorificum de hoc judicium mirum fortasse hominibus quibusdam doctis videbitur. Exstitisse enim non ignoras hac aetate osores obtrectatoresque Ciceronis eos, qui non in civilibus tantum rebus sed in hac ipsa quoque dicendi arte prudentem eum fuisse negent. Ego vero laetatus sum maxime, tanti me viri auctoritate confirmatum audire id, quod ipse jam dudum opinatus et discipulis etiam meis ostendere conatus eram. Diligentius igitur rem postea mecum volutans domumque reversus schedas eas, in quibus dispositiones aliquas Ciceronianas illorum in usum conscripseram, excutiens in hoc ipsum nunc incidi argumentum, cujus expositionem ut candido ego animo Tibi scriptam dicatamque esse volebam, ita aequo Tu et benevolo, quaeso, accipias. Otio autem Tibi concesso diu ex animo optamus fruaris, et fruaris ita, ut fructus inde et his litteris et gymnasiis redundent uberrimi. Vale et nobis scholaeque ei, quae jam te desideratura est, ut nunc facis, ita postea quoque fave.

---

*) Fünfzig Themata disponirt für den Schulgebrauch. Erlangen. 1857.

**) Beiträge zur Dispositionslehre. Bromberg 1858.

Primi Ciceronis de officiis libri dispositio.

Cicero omnem de officiis locum Panaetio auctore et duce in tres potissimum partes dividit. Aut enim, inquit, quaeritur honestumne aliquid factu an turpe sit, aut utile an inutile, aut denique, quum pugnare utile videtur cum honesto, utrum utri praeferendum sit. Primo igitur libro de iis officiis, quae ex honesto nascuntur, disputat ita, ut et ipsum honestum ex natura humana deducere conetur et quatuor illas, quas veteres statuebant, virtutes primarias inde proficisci ostendat. Commemorat hoc consilio primum ea, quae communia sunt homini cum reliquis animantibus, deinde ea, quae ei sunt propria.

I. Communia omnibus animantibus sunt:
   1. Studium se vitamque tuendi (Selbsterhaltungstrieb), quo ducti appetunt ea, quae naturae suae conveniant, declinant, quae nocere possint.
   2. Appetitus conjunctionis procreandi causa (Fortpflanzungstrieb), cui adjuncta est cura quaedam eorum, quae procreata sunt. C. 4. §. 1. 2.

II. Propria et peculiaris homini est ratio. Hujus autem vi efficitur, ut ea etiam, quae communia homini cum bestiis sunt, et latius pateant et majora excelsioraque fiant. Etenim
   1. Bestiae quum sensu tantum moveantur, nihil ad se tuendos faciunt nisi id quod adest et praesens est h. e. quod propter loci et temporis praesentiam sensu percipi potest; homo autem quum rationis vi praeteritum etiam et futurum tempus animo complecti possit, omnes eas res, quae ad totum vitae cursum pertinent, praeparat.
   2. Bestia ad conjunctionis etiam cupiditatem sensu tantum impellitur, homo autem vi rationis ad orationis vitaeque societatem conciliatur homini, ita ut et praecipue quodam amore complectatur eos, qui procreati sunt, et a domesticorum amore profectus ad caeterorum etiam, quibuscum vivit, curam et caritatem procedat. Hac ipsa autem cura, quae in justitia cernitur et beneficentia, ad majores res exsuscitatur animus ita ut ex illo quasi semine caeterae sponte virtutes pullulent. Pertinent autem hae ad tres illas animi humani, intelligendi, appetendi, sentiendi aliquid facultates. Etenim
      a) Propria est homini veri quaedam inquisitio atque investigatio. Animus igitur simulatque, condita illa, ex qua paullatim civitas oritur, vitae societate, vacuus est necessariis curis et negotiis, avet aliquid videre, audire, addiscere, qui fons est prudentiae et sapientiae.
      b) Ingenerata praeterea est homini principatus quaedam appetitio, quam recte Cicero dicit veri videndi studio adjunctam esse. Communis enim utrique est dominandi quaedam cupiditas: ibi dominari et res quasi sibi subjicere studet mens, hic voluntas. Neque tamen ita haec dominari studet ut nemini pareat; parere non vult arbitrio hominum sed aut praeceptis et doctrinae eorum aut justo cuidam et legitimo imperio, ex quo magnitudo quaedam atque excelsitas animi seu fortitudo et constantia oritur.
      c) Insita denique homini est et, orta vitae quadam societate, apparet ea vis, qua sentit, quid sit ordo, quid deceat, qui sit modus in rebus. Qui sensus quum a rebus, quae adspectu sentiuntur, transfertur ad animum, tum virtus illa, quae modestia et temperantia appellatur, oritur.

Ex his quatuor autem virtutibus conflatur et exsistit id, quod quaerimus, honestum. C. 4. §. 3—9. Singula autem, quae ex singulis his virtutibus ducuntur, officia sunt haec:

A. *Officia, quae ex veri investigandi studio ducta ad prudentiam et sapientiam pertinent.*

Veri cognitionem maxime attingere naturam humanam intelligitur et ex insatiabili, qua omnes ducuntur, cognitionis et scientiae cupiditate et ex magno illo, in quo haec ipsa scientia ab omnibus habetur honore. Laudabile enim nobis videtur in ea excellere, turpe aut nescire aliquid aut erroris convinci. His praemissis tria commemorantur, quae huc pertineant, praecepta seu officia, quae etsi ita pronuntiantur, ut iis vetemur aliquid facere, insunt tamen simul ea, quae facere jubemur. Et primum quidem

I. De ratione, qua in scientiae studiis versaudum sit, jubemur magna cum cura et diligentia considerare eas res, quas cognoscere cupimus, quo facto vitabimus id vitium, in quod permulti incurrunt, ut incognita habeant pro cognitis hisque temere assentiantur. Tum

II. Res ipsas, ad quas conferamus studium nostrum, jubemur eligere eas, quae et satis dignae sint cognitu neque tam abditae et obscurae, ut a mente humana intelligi non queant. Ita dignas, in quibus opera et diligentia ponatur, esse scientiam siderum, geometriam, disserendi artem, juris civilis peritiam. Denique

III. Tempus his studiis concedi tantum id debet, quod necessariis negotiis vacuum est, quamquam tanta tamque indefessa est mentis agitatio, ut etiam, dum in illis negotiis occupati sumus, his tamen cogitationis cognitionisque studiis teneri possimus.

Est autem omnino duplex cogitandi genus: unum pertinet ad vitae actionem, quum de rebus faciendis deliberamus nobiscum et consilia capimus, alterum ad ipsius cognitionis scientiaeque studia. C. 6.

B. *Officia, quae ad vitae societatem conservandam pertinent.*

1. Officia justitiae.

I. Justitia omnium primum erga eos servanda, a quibus nullam injuriam accepimus.

1) Virtutis hujus munus est duplex. Constat

a) in omittendo:

α) ne civibus ipsis noceamus.

β) ne rebus communibus utamur ut nostris, neve plus nobis ex iis, quam quod obtigit, vindicemus.

b) in faciendo. Debemus, quantum possumus, ad communem salutem conferre; homo enim hominis causa natus est.

Duplici autem huic justitiae muneri ut satisfieri possit, fides praecipue servanda est; nam haec est fundamentum justitiae. C. 7. §. 1—6.

2) Vitii, quod ex neglecta hac virtute oritur, h. e. injustitiae, sunt genera duo:

a) Unum eorum, qui ipsi injuriam aliis inferunt.

α) Causae, cur inferatur injuria, sunt duae:

aa) metus, quum is, qui nocere alteri cogitat, timet, ne, nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo.

bb) cupiditas. Concupiscuntur autem potissimum:

αα) pecuniae. Expetuntur hae aut ad usus vitae necessarios perfruendasve voluptates aut ad opes parandas gratificandique facultatem aut ad vitae cultum elegantius instituendum. Neque omnino vituperanda est rei familiaris amplificatio, dummodo injuria fugiatur neve noceatur cuiquam.

ββ) gloria, honores, imperia, quorum qui cupidi sunt, iis difficillimum est, servare justitiam idcirco quia expetunt plerumque id, in quo non possunt plures excellere. Quum autem in summis plerumque ingeniis maximae exsistant hujus modi cupiditates, eo magis cavendum est, ne quis opinans, vitium illud indicium magni ingenii esse, peccet in hoc genere..

β) Modus etiam injuriae inferendae est duplex: aut enim subito ea fit et perturbatione aliqua animi, aut consulto et cogitata. Et illa quidem, ut brevis plerumque est et ad tempus, ita levior etiam et facilius excusanda illa altera. C. 7. §. 7— c. 8. §. 1—10.

b) Alterum eorum, qui illatam iis, quos tutari et possint et debeant, ab aliis injuriam non propulsant. Causae, cur a multis hoc officium deseratur, sunt:

α) quia nolunt suscipere inimicitias aut laborem aut sumptus.

β) quia impediuntur

aa) aut innata quadam pigritia atque inertia.

bb) aut studiis suis quibusdam occupationibusve. Pertinent haec aut ad litterarum verique investigandi studium —, quo in genere Plato reprehenditur, otium commendans philosophis ab omni rerum publicarum cura remotum; discendi enim illi studio impediti, quos tueri debent, deserunt; — aut ad rem familiarem tuendam.

cc) aut denique odio quodam hominum. C. 9. §. 1—5.

3) Praecepta, quorum ope cognosci potest, quod cujusque temporis, ut justitia servetur, officium sit.

a) Si dubitamus, aequumne id sit, quod facturi sumus, necne, accipi potest, iniquum hoc et omittendum esse, nam aequitas lucet ipsa per se, et dubitatio illa oritur ex nimio quodam nostri ipsorum amore.

b) In omnibus rebus spectandum est ejus, qui agit aliquid, consilium. Hoc enim dupliciter pugnare cum facto potest:

α) Factum ipsum potest injustum videri, consilium autem quum bonum sit, illud quoque pro bono et justo habendum est. Ita tempora possunt incidere, quibus non reddendum depositum, non faciendum promissum sit.

β) Factum ipsum potest justum videri, consilium autem quum turpe sit, illud quoque pro turpi et injusto habendum est. Ita calumnia saepe et nimis callida juris interpretatione injuriae exsistunt. Unde proverbium illud: summum jus, summa injuria. C. 9. §. 6— c. 10. §. 1—10.

II. Justitia adversus eos servanda, a quibus injuriam accepimus:

1) Privatis hominibus adversus inimicos. Satis est eum, qui lacessivit nos, punire ita, ut eum injuriae suae poeniteat; tum enim efficitur id, quod effici omnino poena debet, ut et ipse ne quid tale posthac faciat et caeteri sint ad injuriam tardiores.

2) Reipublicae adversus hostes.

a) Suscipienda sunt bella non temere sed tum demum, quum fieri aliter non potest, ut sine injuria in pace vivatur.

b) Parta victoria conservandi sunt ii, qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt. Recipiendi etiam, qui armis positis ad fidem imperatorum confugiunt.

Sanctissime haec belli aequitas jure fetiali perscripta erat, et quanta omnino majorum adversus hostes fuerit justitia, intelligi inde potest, quod hostem olim eum dicebant, qui postea peregrinus appellabatur.

c) Ipsis autem bellis quum aut decernatur, uter sit, aut uter imperet, illa bella, quibus imperii gloria proposita est, minus acerbe gerenda sunt. In omni autem bello et ducibus et singulis militibus fides est conservanda in eo, quod promissum est.

Addito brevi de justitia adversus servos servanda praecepto, quo uti iis jubemur ut mercenariis, universae huic de justitia quaestioni finis imponitur is, ut injuria dicatur fieri aut vi aut fraude; odio digniorem esse fraudem, capitalem autem injuriam eorum, qui tum, quum maxime fallant, id agant, ut viri boni esse videantur. C. 11—c. 13.

2. Officia beneficentiae et liberalitatis.

Haec virtus, etsi naturae hominis est accommodatissima, plures tamen habet cautiones. Videndum enim est:

I. ne obsit benignitas

1) iis ipsis, quibus benigne fieri videtur, id quod fit, quum horum gratificamur cupiditatibus. Hoc enim qui faciunt, non benefici neque liberales sed perniciosi assentatores judicandi sunt.

2) caeteris; sunt enim, qui aliis eripiant, quod aliis largiantur, id quod tantum abest ab officio, ut nihil magis officio possit esse contrarium.

Videndum est igitur, ut ea utamur liberalitate, quae prosit amicis, noceat nemini.

II. ne major benignitas sit quam facultates; qui enim benigniores volunt esse quam res patitur, injuriosi sunt

1) in proximos; quas enim copias his et suppeditari aequius est et relinqui, eas transferunt ad alienos.

2) plerumque etiam in alios, quum in tali liberalitate cupiditas inesse soleat rapiendi et auferendi per injuriam, ut ad largiendum suppetant copiae.

III. ut pro dignitate cuique tribuatur. Spectari in hac re debent ejus, in quem beneficium conferetur,

1) mores. Tenenda autem hic duo praecepta sunt:

a) ne velimus eos, in quos beneficium conferamus, omni numero perfectos esse: vivimus enim cum iis, in quibus praeclare agitur, si sunt simulacra virtutis.

b) ut ita quemque colamus maxime, ut quisque maxime lenioribus his virtutibus, modestia, temperantia, ipsa justitia ornatus est.

2) benevolentia, quam erga nos habet. Ratio hic habenda est

a) animi, quo quis erga nos affectus est. A quo diligimur plurimum, ei plurimum tribuendum est.

b) factorum, quibus benevolum erga nos animum testificatus est; tum enim non dandum sed reddendum est beneficium, nullum autem officium referenda gratia magis necessarium est; quamquam acceptorum etiam beneficiorum sunt delectus habendi et videndum praecipue, quo quisque animo, studio, benevolentia beneficium nobis tribuerit. Caeterum cavendum est ne, quod a plerisque fit, a quo plurimum speramus, ei potissimum inserviamus, sed, si caetera paria sunt, et in collocando et in reddendo beneficio opitulandum est ei potissimum, qui maxime opis indiget.

3) conjunctionis gradus; ut enim erit quisque conjunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur. Sunt autem hi praecipue gradus societatis:

a) universi generis humani, in quo omnium rerum, quas ad communem hominum usum natura genuit, est servanda communitas.

b) ejusdem nationis et gentis.

c) ejusdem civitatis.

d) propinquitatis, quod principium est urbis et seminarium quasi reipublicae.

e) amicitiae.

Harum societatum praestantissima et firmissima est amicitiae, gravissima et carissima civitatis et patriae. Inter officia autem, quae his societatibus debemus, distinguenda sunt

α) necessaria vitae praesidia, quae maxime debemus patriae, parentibus, liberis, propinquis.

β) consilia, cohortationes, consolationes, interdum etiam objurgationes, quae maxime vigent in amicitiis.

Caeterum tempora possunt incidere, quibus in alio adjuvando ab hoc necessitudinum ordine discedatur. Ita vicinum citius adjuveris in fructibus percipiendis quam aut fratrem aut familiarem, at si lis in judicio sit, propinquum potius et amicum quam vicinum defenderis. C. 14—18. §. 5.

C. *Officia, quae ex fortitudine ducuntur.*

I. Vis et natura fortitudinis. Intelligitur plerumque fortitudo animi illa elatio, quae in periculis et laboribus adeundis cernitur, neque ulla virtus splendidior solet esse et magis praedicari ab hominibus. Est tamen ea, si justitia vacat neque pro salute publica sed pro suis commodis pugnat, in vitiis potius quam in virtutibus numeranda, quapropter recte a Stoicis fortitudo definitur ita, ut virtus dicatur esse pro

aequitate pugnans. Quo autem difficilius est, magnitudinem quandam atque elationem animi conjungere cum ea mentis aequitate, quae suum cuique tribuat, eo laudabilius est atque praeclarius. Cernitur autem haec virtus duabus in rebus:

1) in forti quodam atque masculo animo, qui ipse rursus cernitur

a) in recte ponderandis aestimandisque rebus externis, quum id solum, quod honestum est, pro bono habetur, omnes autem res externae despiciuntur ita, ut neque secunda fortuna neque adversa mens statu demoveatur.

b) in domandis perturbationibus animi, ita ut quum cupiditate et metu tum aegritudine et voluptate animi et iracundia vacui simus.

2) in rebus magnis atque arduis gerendis.

Est igitur, ut, quod significavit Cicero, id ad justam definitionis formam revocemus, vera fortitudo robur illud animi ex honestatis sensu profectum, quod non minus fortiter internos impugnat hostes quam externos. C. 20.

II. Campus, in quo maxime fortitudo exsplendescere potest. Multo magis in vita publica quam in privata et otiosa hoc fieri potest. Ibi enim praecipue copia datur et animi perturbationes, quae multo plures et majores in publica vita concitantur, coërcendi et res magnas periculorumque plenas pro civium salute gerendi. Itaque iis, qui adjumenta rerum gerendarum habent, non licet a rebus publicis se removere et ad otium perfugere, sed omni potius abjecta cunctatione et magistratus petere et res publicas gerere debent. Quum autem in civitate et urbanae res et bellicae geri possint, injuria hae illis praeferri solent. Parvi enim sunt foris arma nisi consilium est domi, quapropter plus etiam quam in militari fortitudine operae studiique ponendum est in domestica. C. 21—23. §. 3.

III. Singularia quaedam fortitudinis praecepta, servanda illa

1) ei qui b e l l o praeest. Spectanda hic est

a) causa, cur liceat omnino bellum gerere. Suscipiendum est bellum ita, ut nihil aliud nisi pax quaesita videatur.

b) ratio, qua sit bellum gerendum. Boni ducis est:

α) in periculis non perturbari neque de gradu dejici.

β) futura etiam praecipere cogitatione.

γ) vacare temeritate et in ipsa acie et parta victoria contra devictos.

δ) promptiorem esse ad ipsius pericula quam ad communia, paratiusque dimicare de honore et gloria quam de caeteris commodis, quamquam gloriae etiam interdum est jactura facienda, reipublicae salute postulante. C. 23. §. 4—c. 24.

2) ei qui r e i p u b l i c a e praeest. Huic duo Platonis praecepta tenenda sunt:

a) Utilitatem civium praeferre debet suae ipsius.

b) Totum debet corpus reipublicae curare neque, dum partem aliquam curat, deserere reliquas. Qui enim parti civium consulunt, partem negligunt, seditionem atque discordiam in civitatem inducunt. Vir autem vere fortis atque magnanimus in civilibus etiam contentionibus ita adhaerescet justitiae et honestati,

α) ut neminem falsis criminibus in odium aut invidiam vocet.

β) ut eos tantum adversarios existimet, qui arma contra ferant, non eos, qui aliter atque ipse de republica judicent aliterque eam tuendam esse existiment.

γ) ut clemens et mansuetus sit in puniendis adversariis, adhibita tamen quadam severitate, sine qua administrari civitas non potest. C. 25.

3) omnibus omnino civibus. Fortis et constans homo aequabilis in omni debet vita esse, utque in adversis rebus non affligetur metu, ita in prosperis non efferetur superbia, imo quanto superior est, tanto se geret summissius. Hoc assequetur praecipue

a) si consilio utatur amicorum.

b) si non patefaciat aures assentatoribus.

In extrema disputationis parte iterum docetur, maxime quidem animi illam fortitudinem et elationem in republica administranda elucere posse, copiam autem ejus etiam in otiosa vita et iis dari, qui verum investigent, et iis, qui rem suam familiarem curent. Et his quidem animi quandam magnitudinem testificari licet ita, ut opes diligentia et honestate partas et amicis et reipublicae, si quando usus est, ad res utiles impertiant. C. 26.

D. *Officia, quae ex temperantia ducuntur.*

Praemittuntur quaedam ad vim definiendam hujus virtutis. Quod Cicero de Fin. III. 4, 15 dicit, solere se, quod uno Graeci, si aliter non possit, idem pluribus verbis exponere, id hic etiam sequutus Graecorum σωφροσύνην tribus verecundiae, temperantiae, modestiae nominibus, quibus postea (c. 28. §. 4) etiam moderatio et constantia accedunt, appellat. Efficiunt hae id quod d e c o r u m est seu quod decet. Hujus vis non facile ab honesto separari potest; quidquid enim honestum est decet, et quidquid decet est honestum. Differunt tamen inter se ita, ut, quum in ipso animo antegressa est honestas, extra eum appareat id quod decet eodem modo, quo corporis valetudo est causa et conditio venustatis. Sunt autem duo decori genera: unum generale, quod quum in omni honestate omnibusque quae inde proficiscuntur virtutibus cernatur, definiri solet ita, decorum esse, quod consentaneum sit ei hominis excellentiae, qua natura ejus a reliquis animantibus differat; alterum singulare, certam illam, de qua nunc disputatur, virtutem efficiens, quod sic definiunt, ut decorum velint esse id, quod ita *naturae consentaneum sit, ut in eo moderatio et temperantia appareat cum specie quadam liberali.* Recte autem decorum ita definiri, intelligitur ex eo decoro, quod sequuntur poëtae, qui si in fabulis et scena diligenter servant id, quod deceat et quaque persona dignum sit, quanto id magis nobis in vita servandum est. Ut igitur poëtae verentur oculos spectantium offendere, ita nobis reverentia quaedam adversus homines est adhibenda, ne ullo modo in eorum offensionem incurramus. C. 27—28. §. 8. Officia autem quae ex decoro ducuntur, non possunt non eo spectare, ut convenienter vivatur naturae. Duplex autem inde oritur officiorum genus:

I. Unum pertinet ad id decorum, quod in universa vita naturae convenienter instituenda cernitur. Est autem hoc rursus duplex:

1) Decorum illud, quod in universa natura humana conservanda positum est. Quum duplex sit vis animorum atque natura: una in ratione posita, altera in appetitu, appetitus autem nobis communis sit cum pecudibus, ratio propria, natura humana conservanda in eo erit, ut ratio praesit, appetitus obtemperet. Omnino igitur appetitus temperandi sunt ita, ut
   a) neque praecurrant rationem, h. e. actiones vacare debent temeritate.
   b) neque deserant rationem, h. e. actiones non retardari debent ignavia atque pigritia.

   Generati autem quum a natura simus ita, ut ad severitatem quandam et ad graviora studia facti esse videamur, sedandi contrahendique sunt appetitus praecipue
   a) in joci ludique usu. Spectandum est
      α) tempus: ludere et jocari licet tum demum, quum gravibus seriisque rebus satisfecerimus.
      β) genus: unum jocandi genus est petulans atque obscoenum, alterum elegans atque urbanum; hoc est homine libero, illud ne homine quidem dignum. Ludendi autem et campus Martius et venatio honesta exempla suppeditant.
   b) in corporis voluptate. Propriam hanc per se ipsam pecudum et indignam humanae naturae excellentia esse, vel inde intelligitur, quod etiam qui paullo propensiores ad eam sunt occultant tamen et dissimulant hunc appetitum. Quapropter si vel maxime quis aliquid tribuat voluptati, diligenter ei est modus tenendus, neque omnino molliter cuiquam et delicate sed continenter, severe, sobrie vivendum. C. 28. §. 9—c. 30. §. 6.

2) Decorum illud, quod in sua cuique natura tuenda positum est. Duabus a natura induti sumus personis, quarum una communis est, quod omnes participes rationis sumus, altera proprie singulis tributa. Multae enim ut corporis ita animorum etiam sunt varietates morumque dissimilitudines.

   Ita in aliis lepos quidam est atque hilaritas, ut in Socrate et Pythagora apud Graecos, in L. Crasso, L. Philippo, C. Laelio apud Romanos, in aliis severitas atque tristitia, ut in Pythagora, Pericle, M. Druso.

In aliis calliditas quaedam atque versutia, ut in Solone, Themistocle, Hannibale, in aliis aperta quaedam simplicitas.

Alii cuivis deserviunt, dummodo, quod velint, consequantur, ut Lysander, Sulla, M. Crassus, alii suo prorsus judicio stant neque quidquam nisi, quod ipsi statuerunt, faciunt, ut Callicratidas.

Alii in omni sermone omnibus affabiles et jucundi sunt, ut Catuli et Scipio Nasica, alii superbi et sine ulla comitate sermonis, ut pater Scipionis illius.

Officia hinc sponte sequuntur duo:
   a) In omnibus illis sua cuique, dumne vitiosa sint, tenenda sunt, neque quidquam invita Minerva h. e. adversante et repugnante natura faciendum est. Id enim maxime quemque decet, quod est cujusque maxime suum. Quantam autem vim haec naturarum differentia habeat, intelligi ex exemplis potest. Ita et M. Cato Uticensis debuit mortem sibi consciscere, ne vultum tyranni adspiceret, id quod reliquis, quamquam in eadem causa erant, vitio esset datum, et Ulixes in errore Circae Calypsonique inserviebat, domi vero contumelias servorum ancillarumque servato decoro pertulit, quod si Ajax fecisset, desciturus a decoro fuisset.
   b) Suum quisque noscat ingenium acremque se et bonorum et vitiorum suorum judicem praebeat. Imitandi enim in hac re sunt scenici, qui non optimas sed sibi accommodatissimas fabularum partes eligunt. C. 30. §. 7—c. 31.

Huic autem officio finitimum est illud, quod in vitae genere eligendo cernitur. Quum enim duabus illis, quas diximus, personis, adjungantur duae, quarum unam casus aliqui aut tempus imponit, alteram nobismet ipsi judicio nostro accommodamus, de hac potissimum dicendum est. Difficillima autem est deliberatio de vitae genere ineundo, quia ineunte jam adolescentia, qua maxima consilii est imbecillitas, illa institui solet. Ducuntur igitur plerique in hac re patrum munere et consuetudine, alii multitudinis, pauci suo ipsorum judicio. Atque in hac deliberatione maximam vim habet natura, ita ut ad suam cujusque naturam consilium sit omne revocandum, proximam fortuna. In parentum autem studiis imitandis primum excepta eorum vitia sint, deinde si natura non feret, ut gloriam ab iis sive in bello sive in foro partam assequamur, eo magis enitendum erit, ut ea, quae in nostra potestate sunt, praestemus: justitiam, fidem, liberalitatem, modestiam, temperantiam. C. 32 et 33.

3) Decorum illud, quod singularum aetatum naturae convenit.
   a) Adolescentium est
      α) vereri majores natu exque his deligere optimos, quorum consilio atque auctoritate nitantur.
      β) cavere libidines et intemperantiam, contra exercere se in labore patientiaque et animi et corporis.
   b) Senum est
      α) minuere corporis, augere animi exercitationes.
      β) amicos, juventutem, rempublicam consilio et prudentia adjuvare.
      γ) cavere, ne languori se desidiaeque dedant.
      δ) cogitare, luxuriam quum omni aetati turpem tum senectuti foedissimam esse.

4) Decorum illud, quod et civium et peregrinorum conditioni et naturae accommodatum est.
   a) Magistratus est, intelligere, se gerere personam civitatis debereque ejus dignitatem et decus sustinere.
   b) Privatorum est,
      α) aequo et pari cum civibus jure vivere.
      β) in republica ea velle, quae tranquilla et honesta sint.
   c) Peregrini est, nihil praeter suum negotium agere neque curiosum in aliena republica esse. C. 34.

II. Alterum pertinet ad decorum illud, quod in singulis vitae factis, dictis, omnis generis operibus et functionibus naturae convenienter instituendis cernitur.

1) V e r e c u n d i a servanda est.
   a) Occultandae sunt eae corporis partes, quas natura ipsa contexit atque abdidit.

b) Vitanda est verborum obscoenitas. Liberius de hac re judicant Cynici et nonnulli ex Stoicis, qui non sunt audiendi.

c) Servandum decorum est in omnibus corporis motibus, in statu, incessu, sessione, accubitione, vultu, oculis, manuum motibus. Quibus in rebus duo maxime sunt fugienda:

α) ne quid effeminatum aut molle,

β) ne quid durum aut rusticum sit. C. 35.

2) Pulchritudinis est ratio habenda. Quum duo sint pulchritudinis genera: venustas, quae mulierum, dignitas, quae virorum propria est, ad hanc virilem dignitatem tuendam haec praecepta pertinent:

a) Praeceptum universum: Removeantur et a forma et a motu gestuque, quaecunque viro indigna sunt.

b) Singularia praecepta:

α) Formae dignitas tuenda est coloris bonitate, color ipse quaerendus exercitationibus corporis.

β) Munditia adhibenda est ea, quae neque nimis sit exquisita et agrestem quandam fugiat negligentiam.

γ) Vestitus ratio habenda est ita, ut teneatur mediocritas.

δ) Incessus nimia neque tarditas sit neque celeritas. In illa enim inest viro indigna mollities, in hac, qua anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur, magna quaedam significatio, non adesse constantiam. Quamquam multo magis cavendum est, ne in animi perturbationes atque exanimationes incidamus. C. 36.

3) Orationis magna est cura habenda. Quum duplex sit oratio, altera contentionis, h. e. oratio publice habita, altera sermonis, qui in circulis, disputationibus, congressionibus familiarium versatur, illius autem multa jam exstent rhetorum praecepta, hic traduntur ea, quae ad sermonem pertinent.

a) Vox et clara sit et suavis, quod etsi utrumque naturae est beneficium, alterum tamen exercitatione, alterum imitatione presse et leniter loquentium augeri potest.

b) Sermo ipse

α) Socraticorum more lenis minimeque pertinax sit.

β) ne excludat alios et sibi soli quasi regnum arroget, sed vicissitudinem quandam aequam esse censeat.

γ) accommodet se iis rebus, de quibus agitur, ita ut de seriis rebus severitatem, de jocosis leporem adhibeat.

δ) ne detrahendo de absentibus vitium aliquod indicet in moribus.

ε) habeatur, ubicunque fieri potest, de negotiis domesticis, de republica, de artium studiis atque doctrina.

ζ) animadvertat, quatenus delectationem habeat, et, ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus.

η) nimiis vacet animi motibus. Necessariae quidem interdum etiam sunt objurgationes, in iisque et vocis utendum est contentione majore et verborum gravitate acriore, ita tamen ut absit contumelia et vitetur omnino iracundia, quacum nec constanter fieri quidquam potest nec ita, ut iis, qui adsunt, probetur.

θ) vitet deformitatem illam, qua de nobis ipsi, falsa praesertim, praedicemus. C. 37 et 38.

4) In domo etiam decorum illud apparere debet.

a) Universa aedificandi descriptio ad usum est accommodanda.

b) Viro principi et honorato spectanda praeterea est commoditas quaedam et dignitas atque laxitas domus, ut et externa sua specie placeat ea civibus et multos hospites hominumque cujusque modi multitudinem excipere possit, quamquam cavendum est, ne extra modum sumptu et magnificentia prodeatur, neque obliviscendum, non domo dominum sed domino domum honestandam esse.

c) Omnino, ut in omni actione suscipienda, ita in domo etiam aedificanda tria illa tenenda sunt:

α) ut appetitus rationi pareat.

β) ut animadvertatur, quanta illa res sit, quam efficere velimus.

γ) ut ea, quae ad liberalem speciem et dignitatem pertinent, moderata sint. C. 39.

5) Ordo est servandus actionum et opportunitas temporum, ita ut, quidquid faciamus, suo loco faciamus et suo tempore, utque, quemadmodum in oratione constanti, sic in vita omnia sint apta inter se et convenientia. Quod ut fiat,

a) duo tenenda sunt praecepta, quae si sequuti fuerimus, facilius, ne peccemus hac in re, cavere poterimus:

α) Ex aliis, quale quidque sit, judicandum est, ut, si quid dedeceat in illis, vitemus ipsi; nam magis in aliis cernimus, quam in nobismet ipsis, si quid delinquitur.

β) Aliorum et doctiorum quidem usuque peritiorum judicium in iis, quae dubitationem nobis afferunt, exquirendum est.

b) cavendum est, ne putemus, si quid magni viri, ut Socrates et Aristippus, contra morem consuetudinemque civilem fecerint, idem nobis quoque licere.

c) suus cuique ordini et aetati honor tribuendus est.

d) diligens in artificiis quaestibusque exercendis delectus est habendus. Decet virum liberum, exercere liberalem artem, dedecet, illiberalem et sordidam.

α) Illiberalis est quaestus portitorum et feneratorum, sordidus etiam mercenariorum et opificum, maxime autem eorum, quorum artes ministrae sunt voluptatum, ut coquorum, fartorum, unguentariorum, saltatorum, aleatorum.

β) Liberales sunt eae artes,

aa) in quibus major quaedam prudentia inest, ut medicina, architectura, doctrina rerum honestarum, h. e. artium litterarumque liberalium, ex quibus quaestum facere honestum est iis, quorum ordini conveniunt h. e. hominibus de plebe et equestris ordinis.

bb) quibus non mediocris utilitas quaeritur, ut mercatura, quae si est tenuis, sordida putanda est, sin magna et multa undique apportans, non admodum vituperanda. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agri cultura melius, nihil homine, nihil libero dignius. C. 40—42.

Ita omnibus, quae ab honestate ducuntur, officiis expositis in extrema libri disputatione brevis instituitur ipsorum honestorum comparatio, ut intelligi possit, duobus propositis honestis, utrum honestius sit. Qua in re ea officia, quae in hominum societate tuenda versantur, reliquis anteponuntur ita, ut, quaecunque foeda et flagitiosa sint, ea ne reipublicae quidem conservandae causa facienda esse dicantur; accidere enim nunquam posse tempus, ut ipsius reipublicae, quidquam illorum fieri, intersit. C. 43—45.
